
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Misscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO III.

De

Actu Morali.

Qvam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

WILHELMUS Büthner/

Regiomontanus Prussus.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Septemb.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO III.

De

Actu morali.

Cum objectum Ethices actus humanus sit, *d. 1. t. 11.* Et *Agere* Ethica reqvirat, non scire aut contemplari; sed summa boni hic sit, *Agendum*, Facere enim docet Philosophia (moralis) non dicere, & hoc exigit, ut ad legem qvisq; suam vivat, ne orationi vita dissentiat, ut *Seneca Ep. 120.* ait, qvid & qvotuplex actus moralis sit, cumprimis in Ethicis dispiciendum erit.

2. Dari actum moralem *partim definitio*, qvia actus à voluntate moraliter se habente productus datur, ut virtuosè, vitiosè, agere, At hic moralis est: *partim experientia* docet, ut exempla virtuosorum & vitiosorum testantur, ut Catonis, Aristidis, Scipionis, &c. *Sumiturq́; vox actus & latiùs* pro interno & externo simul, ut eligere internus, à cibo abstinere externus est, *Et strictius* pro externo tantùm. Ita hic freqventer sumitur, & internus principium externi statuitur, *t. 3.* Ad utrumq; definitio flecti poterit. Et actus *vel* ut informandus honestate Ethicâ, sic objectum, *vel* ut informatus spectatur, sic principium aut effectum virtutis esse poterit. Indifferenter ad utrumq; hic tractari qveat.

3. Definitur *actus moralis actio humana externa contingens, à voluntate moraliter constituta per rationem practicam directa ob certum finem producta. Actio,* h. e. effluxus ab agente profectus, ut à potentiâ & habitu distinguatur,

qvæ non effluxus; sed qvalitates intra manentes sunt. *Humana*, ut divinæ & angelicæ excludantur, aut animæ humanæ separatæ, qvæ superiores moralibus, aut analogæ illis sunt, non strictè morales, *& brutorum*, qvæ umbram & idola ut rationis, sic & moralium habent, ut cum fortis Leo, castus elephas, temperans columba dicitur, maleq; illis virtutes & vitia ex antiqvis *Speusippus, Plutarchus in Gryllo, ex* neotericis *Photiniani ut Socinus c. Pucc. c. 6. Item Vorstius in not. ad d. 9. t. 28. 29. Et parasc. p. 2. C. 9. t. 19. Et amic. Collat. s. 90. Zanakius l. 3. c. Jac. Mart. s. 2. c. 12. aliiq;* tribuunt; Non enim sine ratione hæc, qvæ in brutis non datur. *Lex* de Casu bruti datur, *Exod. 21. v. 28. Levit. 20. v. 15. 16.* Et objectum ac materia legis illud esse potest: Sed homini propriè fertur, non bruto, *Exod. c. l. v. 1. Gen. 6. v. 12. C. 9. v. 5.* Et brutum occidi jubetur *Gen. 9. Exod. 21. Lev. 20.* in detestationem facti, non qvòd vitii propriè capax. Sic cultri, instrumenta, supellex, in gravi scelere abolentur, ut regicidio, sic Achanis, *Jos. 7.* muri & turres Tyriorum, *Ezech. 26. v. 4.* Vitulus Aaronis, *Exod. 12.* aræ, templa, idololatrica, *2. Chron. 24. v. 3. 4.* non qvòd illa propriè peccârint, sed qvòd homines illis ad peccandum abusi sint. Sic in *Jure Civili*, si qvadrupes pauperiem fecerit, actio datur, sed in herum, non brutum. *L. 1. Digest. t. 12.* Tolluntur bruta *non peccatorum participatione, sed possessorum afflictatione. Externa*, qvia maximè freqventer hæc moralis dicitur. *Interna* ut principium assumitur, & si externa non adsit, nondum satis completè moralis nominatur, etsi ex parte & ipsa moralis sit. *Contingens*, ut à necessariâ & eodem tantùm modo naturaliter se habente distinguatur, ut

rugire, latrare, videre, audire, intelligere, loqvi, qvæ naturales, non morales actiones sunt. Voluntas ad utrosq; actus, bonos & malos, virtuosos & vitiosos, indifferens est. Si qvædam moralibus subduntur, ut loqvi taciturnitati, morale aliqvod esse sortiuntur.

4. *A voluntate producta*, non solo intellectu, ut speculatio, apprehensio, illatio; artificialis operatio. Si concurrat, in ordine ad voluntatem, qvæ seqvi debet, concurrere oportet, ut consultatio, *t. 6.* Aut appetitu sensitivo, nihil rationis moralis capace, ut saltatio: *Moraliter constituta*, ut principio morali ea agatur, seu plena, seu semiplenè, hinc actus ex dispositione & habitu procedentes morales dicuntur, ut primus actus liberalitatis, temperantiæ, &c. Reliqva principia ultra moralia sunt. *Per rationem practicam directa*, hæc enim propriè formale actus moralis facit, Judicium practicum, qvo voluntas in agendo ratione boni aut mali moralis dirigitur. Sive judiciùm illud legitimum, sive illegitimum, erroneum aut rectum, inconsultum vel providum, sit. Unde actus differentes oriuntur. *Excluditur principium divinum & supernaturale*, ut cum DEus aliqvos excitat, ut Simsonem, aut virtutes concreat, infundi, connasci facit, vel per angelos adigit: aut virtutes spirituales excitat, fidem, spem, caritatem: *Sathanicum & magicum*, ut cum Sathanas suos ad scelera impellit, ut sagas, ubi actus plusqvàm moralis est, & vitia magica non merè moralia sunt: *Artificiosum*, ut sutoria, saltatoria, citharistria: *Theoreticum*, ut ratiocinatio, ordinatio, argumentatio: *Violentum*, ut cum ad eleemosynam dandam qvis cogitur, ubi actus coactus est, nec bonus, nec malus

Ethicè eſt *Ob certum finem producta*, bonum vel malum, honeſtum vel inhoneſtum, non fruſtra, nec caſu aut fortuitò. Ubi talis denominatio locum non habet, denominatio moralis non valet. Ut nutrire, augere, ſpeculari.

5. *Dividitur actus moralis in internum & externum. Internus*, qvi intra in agente manet, non foràs protruditur. *Vt prima voluntatis* ad appetendum objectum ab intellectu propoſitum & cognitum inclinatio. Non cognitum non volitum, & ignoti nulla cupido eſt. Niſi appetitus furioſus ac diſtortus ſit, ut in *Cat. Mesſalino*, qvi nunqvam viſæ flagrabat amore puellæ, *Juven. ſaty. 4.* Et qvomodo Sagas dementat Sathan, ut appetant, qvæ nec ſunt, nec fuerunt. *V. d. Mag. act. C. 4. 5. Seqvens appetitus* ſenſitivi commotio, qvà ſenſibus cognita ut jucunda vel adverſa recipiuntur, boniq; appetitio, mali averſatio eſt: *Intellectus cognitio* & voluntati propoſitio, ubi ultra ſenſum ſpecialiùs intellectus objectum cognoſcit, voluntati appetendum aut fugiendum perſuadet, ut verè aut apparenter cognitum fuerit: *Voluntatis plenior appetitio*, ut ſeriò potiri velit, & intellectum ad medium qværendum incitet, ubi reciproca intellectus & voluntatis eſt commotio, ſed ſuavis & politica, non herilis & deſpotica, ut voluntas etiam contra intellectus directionem appetere poſſit, & directivum principium intellectus ſit, non imperativum. *V. t. 6.*

6. *De mediis pro fine conſeqvendo Conſultatio*, & mediorum ad finem inqviſitio. Ubi *objectum*, de qvo, qvod agibile qvid, ex parte vel toto noſtrum, futurum, dubium, in nobis ſitum, non planè remotum, & medium

ad finem, non finis ipse sit, *modus*, sub qvo, ut & *scopus* figatur, & *media* ad eum maximè convenientia sumantur, *& executio*, ad qvam consultatur, spectanda, qvæ ordinata, considerata, & tempestiva, & sociativa, si soli impares, esse debet: *De consultis voluntatis decretio*, Libera medii alicujus electio, cæterorum rejectio, ubi voluntas de fine & scopo, electio de ordinatis ad finem est, Illa & de impossibili, ut avarus totius mundi opes appetit, hæc tantùm de possibili est: *Conscientia de actu attestatio vel improbatio*, judicium practicum, qvid decorum aut indecorum in vita sit, suggerens, qvæ *vel* antecedit actū, ut hic, *vel* seqvitur, estq; benè aut malè actorum in homine index & vindex, *V. d. 2. t. 10.* Vel affirmans vel negans, simplex vel comparata, *propria*, qvæ recta, erronea, probabilis, Ubi erronea in errore invincibili, cùm aliter sciri non potest, seqvenda, In vincibili, de objecto indifferente, non autem malo, seqvenda. Sic Saul non debuit sacrificare, *1. Sam. 13.* Qvia Regem hoc dedecere scire debuit: *Vel impropria* est, qvæ dubia aut scrupulosa est: *Et voluntatis plena ac destinata volitio*, liber actus unum è consultatis & electis assumens, alterum reprobans. Perpetuò hic liber est, nullo judicio practico ultimatè ad seqvendum adigi postest. In eo enim formale libertatis est, omnibus ad agendum reqvisitis positis, recipere vel reprobare posse. Voluntas autem vis liberrima est, *Et in peccantibus destinatò* ac contra conscientiam patet, qvi omne judicium practicum respuunt, & scientes meliora deteriora seqvuntur. *Jerem. 44. v. 16. Itemq; in Sp. S. peccantibus*, qvi scientes volentesq; Evangelicam veritatem ad ultimum oppugnant ac blasphemant:

phemant: Ac multi motus judicium practicum antevertunt, ut indeliberati, repentini, imprudentes. &c. Ut rectè hic *Scotus*, *Meisnerus*, *Becanus*, *Suaretzius*, *Mendoza*, *aliiq́;* sentiunt, maleq́; oppositum *Bellarminus*, *Valentia*, *Tannerus*, *Zumel*, *Alvaretz*, *aliiq́;* arripuerunt, de qvo latius *Dec. 3. Miscell. d. 3. t. 11. 12.* actum.

7. *Actus externus est*, qvi foràs è subjecto prorumpit, & consultatorum ac volitorum est executio. Hic inprimis moralis dici solet, *t. 2. 3. Estq́; bonus & malus, voluntarius & involuntarius, imperatus & elicitus, antecedens habitum & conseqvens. Bonus*, qvi conformis rectæ rationi & legi est. *Malus*, qvi difformis ab eâ est. *Bonitas est perfectio* actus voluntarii, in conformitate cum rectâ ratione & lege consistens. *Malitia imperfectio actus voluntarij*, in exorbitantiâ à recta ratione & lege consistens. In solo homine propriè locum habet, non Deo, angelo bono, malo, bruto, &c. *t. 4. Principaliter* bonitas ab objecto honesto sub ratione formali honesti, h. e. rectæ rationi convenientis, qvæ ut differentia formalis actionum est, *V. Scalig. ex. 307. s. 27.* sumpto specificatur, ut pauperi subsidium dare: *Secundariò* à fine, intentione, & circumstantiis. Unde bona etiam benè agenda, & opera non nominibus, sed adverbiis judicanda sunt. Sic proditori irasci honestum, sed sub publicâ concione turpe est. Fratris mortui uxorem ducere illicitum. Sed in casu carentiæ hæredis licitum, & à communi lege à Deo exceptum fuit, ut in eo casu lex non valere debuerit, *Deut. 25. v. 5. V. d. 6. t. 17. Sed* solus finis bonum non facit. Sic qvi furatur, ut eleemosynam det, non bonum agit.

8. Ma-

8. *Malitia principaliter* ab objecto inhonesto formaliter tali, & intentione malà etiam honestum agentis pendet. Sic inebriari malum, qvia temperantiæ adversum, sivè Græcus aut Germanus agnoscat, seu minus. Alienum surripere inhonestum, seu Spartanus agnoscat, seu minus, *D. 1. t. 4.* Noa vim vini ignorans inebriatus peccat, *Gen. 9.* Deus hic excipere potest, ut commune fiat, qvod aliàs alienum erat, ut in Ægyptiis. *Exod. 11. V. t. 7.* *Mala intentio* etiam ex honesto turpe facit, ut qvi stipem dat, ut hominibus appareat, orat, ut pius videatur, fortiter adversa fert, ut speciem affectet. Sed *sola intentio* non facit bonum, qvia objectum honestum formaliter tale esse debet. Sic qvi justè agit, non ex habitu justo, qvi stipem dare vult, & furatur: *Secundarió à circumstantiis.* Sic centies furatus graviùs peccat, ac semel, cum maritatâ scortatus gravius, ac cum solutâ, hominem abripiens graviùs, ac bovem, & plagium, non simplex furtum committit, & capite puniendus, *Exod. 22. v. 16.* Cum alter non, *C. 22. v. 1. seq.*

9. *Differt actus bonus & malus specie*, ut essentiali actuum oppositorum differentiâ determinatus, & in objectis specie differentibus fundatus, prout & *habitus bonus & malus specie* differunt, etsi malitia abstractè & ut sic non realis positio, ut bonitas, sed positionis privatio & negatio sit, *d. 4. t. 15.* *Actus* tamen, de qvo Ethicus agit, & qvi propriè ejus considerationis, non attentâ solicitâ inter malum abstractè & concretè sumptum distinctione, ut Metaphysica facit, in utroq; positivus est: Et qvod bonus bonitatis reqvisita aggregatè omnia postulet, ut objectum, finis, & circumstantiæ honestæ sint; malus ma-litiam

litiam etiam ex uno habere posſit. Ut qvi malo fine bonum agit. *t. 8. Bonum ex integrâ cauſâ*, nam adſtruentis, *malum ex uno defectu esſe poteſt, nam deſtruentis naturæ eſt.* Nec medium in morali actu in individuo & ſingulari eſt, qvi nec bonus, nec malus ſit, etſi extra eum multi indifferentes, ut ſedere, ſtare, progredi, & in univerſali actus inchoati boni vel mali fieri posſint. Denominatum autem boni & mali partim in interno, ut volitio juſti, temperantis, partim externo eſt, ut juſta diſtributio, temperata comeſtio, bibitio, *ac moraliter externus cum interno uniuntur ac concurrunt*, ut actus temperantiæ, juſtitiæ, modeſtiæ, & ex interno voluntatis motu, & externo membrorum actu moraliter complicatus.

10. Voluntarius eſt, cujus principium voluntas agentis libera, eligens, & omnes circumſtantias, qvà tales ſciens eſt. *Eſtq; directus*, cum poſitivè realiter efficiens eſt, ut ſcortari, *& indirectus*, cum non avertit, qvod poteſt & debet avertere & impedire, ſic gubernator causa ſubmerſionis, cum impedire eam potuit, & ex officio debuit: *Vel moraliter* concurrit jubendo, conſulendo, ſvadendo, illiciendo, inſtigando, fovendo, probando: *Plenus*, ubi perfecta voluntas, ut ex proæreſi ſciens volensq; agat, & *ſemiplenus*, ubi refracta voluntas eſt, ut ſi aliqvid ad eligere movens non esſet, non eligeretur. Vt cum impetu aut naturali in iram propenſione agitur, aut præmiis & illiciis actus inducitur, qvi ſecùs non agat, aut necesſitate agitur, qvod aliàs non ageretur, ut cum merces in mare metu naufragij projiciuntur, latroni pecunia pro vitâ promittitur, qvod aliàs non fieret, qvi actus miſtus & medius dicitur, & externi principij ac primi motus

ratione

ratione *involuntarius*, interni, voluntatis, & circumſtantiarum ratione, *liber ac voluntarius eſt*. Nam *&* objectum indifferens liberè eligitur, cum alterum eligi poſſet, *&* vis eligens eligendo ac imperando hoc aſſumit, illud reprobat, cum contrà agere poſſet; *&* finis potior liberè aſſumitur, ut vitam ſervare, qvàm perdere. Qvomodo rectiùs voluntarium eum *Ariſtoteles*, *Horneius*, *Becanus*, *Caſus*, *aliiq;*, qvàm invitum *Keckerm.* *&* *Donaldſonus* dicunt. Ut *t.* 17. 18. *c. l.* pluribus.

11. *Involuntarius*, qvi voluntate repugnante aut ignorante fit. *Eſtq; violentus*, cum voluntas nec vult, nec juvat, ſed obſiſtit. Qvi propriè moralis non, ſed oppoſiti ratione, voluntarij, adducitur, ejusq; collatione hic meliùs explicatur: *Et ignoratus*, ubi principium ignorantia facti vel faciendi eſt. *Ea vel juris*, *vel facti* proprij aut alieni, vel rei, circumſtantiæ, actionis & efficientis, vincibilis & invincibilis, negationis & diſpoſitionis eſt, de qvibus latè Autores *c. l. t.* 19. *citati*. Ubi & plura de eâ, an, ubi, qvomodo, & in qvantum ea excuſet.

12. *Actus imperatus* eſt, qvi ad placitum voluntatis ab alijs potentiis educitur, ut manum extendere, conſultare, media inqvirere, objectum oſtendere, edere, bibere, aggredi, non ſemper externus eſt, etſi plerumq;, ut conſultare. *Elicitus*, qvi ab ipſâ voluntate ex ſeſe elicitur, ut velle, appetere, recipere, rejicere. Semper internus eſt, etſi imperatus non ſemper externus. *Antecedens habitũ eſt*, qvi à voluntate nondum habitu inſtructâ procedit. Ut cum diſpoſitio ad Juſtè, temperatè, fortiter, agendum eſt. *Conſeqvens* qvi ex habitu. Ut Juſtè, fortiter, intemperanter ex habitu agere. *An ſpecie differant*, *an gradu*,

da, quæritur? Hoc potius; ut *Jac. Martini, Evenius, Goclenius*, non illud, ut *Piccolom. Timplerus, aliisq;* volunt. Objecta enim eadem, & norma, prudentia, & efficiens eadem utriusq; est, voluntas humana, & opposita eadem. Sic temperantiæ inchoatæ & completœ, intemperantia opponitur. *Gradu* differunt. Ille enim vacillans, difficilis, cum luctâ, facile amittitur, disponens & pugnans est. Hic firmus, constans, promptus, jucundus, perficiens & pervincens est, strato hoste & victo, non vincendo & adhuc repugnante.

13. *Dices 1. Actiones præcedentes* sunt causæ habitus. Sed conseqventes sunt effecta. Causæ autem & effecta realiter & specie differunt. ℞. *Satis est*, numero differre, non semper specie. Sic pater & filius, canis gignens & genitus, ut causa & effectum differunt, nec specie. Qvod autem gradu differt, etiam realiter differt, etsi non specie. Sic cantio à tyrone Citharistriæ, & eadem ab artifice pulsata gradu, numero, & perfectione differt, specie conveniunt. 2. *Diversæ* sunt Causæ istarum actionum. Antecedentes à voluntate, conseqventes ab habitu prodeunt. ℞. *Etiam* à diversis causis idem in specie effectus prodire potest, ut rana, mus, à Sole & ranâ ac mure genitus. Et utriusq; hic eadem causa est, voluntas humana, modò saltem diversa, habitu instructa aut vacua.

14. *Subjectum actus moralis ultimatum homo*, qvi benè & malè moratus vocatur, *proximum voluntas humana* & appetitus sensitivus est. *V. d 4 t. 10. Affectiones* sunt libertas & illibertas, dispositio & perfectio, & à naturali, supernaturali, artificiali, violento, Magico ac Sathanico distinctio. *Vid. t. 4.*